



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

21. Pro injuncti, &c. Confirmatio alienationis Bonorum temporalium  
Ecclesiæ, factæ an. 1563. solâ Regiâ auctoritate, & permissio in eâ  
continuandi pro dd. temporalium bonorum redemptione: an. 1564.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

Etiam Sedem antiquitus concessorum prætextu, se ab eorundem Ordinariorum jurisdictione, & superioritate exemptos esse prætendentes, impunitate sibi propofita, in diversas hæreticas, nefariasque opiniones, & abunda deliramenta passim prolabantur, asserentes inter alias eorum blasphemias, nullum esse defunctorum Purgatorium, Romanum Pontificem aliquam in eos jurisdictionem, vel auctoritatem habere negantes, indulgentias ab illo concessas damnantes, Ecclesiasticas Sententias, & censuras ab eo latas spernentes, Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, beatorum Apostolorum & aliorum Dei Sanctorum festiuitates ab Ecclesia Romana, sanctisque Patribus ordinatas non obseruantes, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suis infantibus in Baptismo exhibentes, inhumata defunctorum cadavera superstitione quadam impia, & plusquam barbarica & sepulchris eruentes, igneque comburentes, Ordinariorum Locorum, quos habitant, visitationem, jurisdictionemque contemnentes, & Ecclesiasticam disciplinam perturbantes; ac demum hujusmodi, aliisque suis opinionibus erroneis atque sacrilegis populos Latinos inficientes, correctionem legitimam suæ præsentis exemptionis clypeo repellentes, in suis impietatibus, abususque confenscunt, & immorantur, in suarum, vicinorumque populorum, præsertim simplicium, animarum perniciem, & scandalum plurimorum.

§. 2. Nos igitur providè considerantes, ejusdem Sedis intentionem nunquam fuisse, exemptionem, aliudve privilegium à se concessum iri, ut inde scelerum impunitas, & animarum periculum emergeret: abusus, & periculis hujusmodi, quantum cum Deo possumus, tempestivè obviare volentes, ac quarumcumque exemptionum, aliorumque privilegiorum dictis Græcis, eorumque Prælatibus, Rectoribus, Abbatibus, & aliis, tam Sancti Basilii & alterius Ordinis Regularibus, quam Sæcularibus, ac etiam Laicis personis quocumque nomine nuncupatis, per præfatos, & alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem præfatam, in genere, vel in specie hætenus concessorum, ac etiam iteratis vicibus approbatorum, & innovatorum, litterarumque desuper confectarum, & inde secutorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas exemptiones, ac prout illas concernunt, desuper confectas litteras præfatas, ad hoc videlicet, ut ipsi locorum Ordinarii, quascumque Græcorum Ecclesias, Monasteria, Prioratus, & alia pia loca, tam Sæcularia quam cujusvis ordinis Regularia, eorumque Prælatos, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, ac majori dignitate præfulgeant, nec non Abbates, Rectores, Ministros, & quasvis alias ejusdem nationis personas in suis Civitatibus, & Diocæsisbus consistentia, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam ordinariam jurisdictionem, plenamque & omnimodam superioritatem, in iis quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem, & animarum salutem, hæresiumque extirpationem concernunt, exercere, & exequi liberè & licitè valeant, reliquis ipsorum Græcorum in divinis celebrandis, aliisque ritibus à Sede Apostolica approbatis, nec non privilegiis & gratiis Apostolicis intactis remanentibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò revocamus, cassamus, & annullamus, ac revocatas, cassatas & annullatas esse, nec ipsis Græcis, Clericis, vel Laicis, eorumve Prælatibus, Ecclesiis, Cænobis, aut aliis piis locis in aliquo suffragari, sed illos omnes & singulos locorum, in quibus moram traxerint, Ordinariarum visitationi, correctioni, punitioni, jurisdictioni, & omnimodæ superioritati in præmissis subesse, illisque tanquam Superioribus suis, suarumque animarum Pastoribus humiliter obedire.

§. 3. Ecce sic per quoscumque Judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis quavis aliter judicandi facultate, judicari & definiri debere, ac quicquid secus à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Per hoc tamen non intendimus, quòd ipsi Græci ab eorum Græcanico ritu distrahantur, vel alias desuper quoquo modo per locorum Ordinarios, aut alios impediuntur.

§. 6. Et quia difficile foret præsentibus ad diversa loca, in quibus illarum exhibitio forsan erit necessaria, circumferri, volumus, & eadem auctoritate similiter decernimus, quòd earundem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ Sigillo signatis, plenaria & indubia, eaque profus adhibeat fides, in iudicio, & extra, quæ præsentibus adhiberi deberet, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima sexta Februarii, Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus nostri, anno sexto.

Confirmatio alienationis Bonorum temporalium Ecclesiæ, factæ an. 1563, solâ Regiâ auctoritate, & permisso in eâ continuandi pro dd. temporalium bonorum redemptione: an. 1564.

XXI.  
Ex Mem.  
du Clergé  
de France.  
Tom. IV.  
pag. 741.

## PIUS PAPA IV.

*Dilecti Filii nostri & Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

**P**RO injuncti nobis muneris officio, quantum in nobis est, eniti & procurare debemus, ut vulneribus, quæ statui Ecclesiastico in iis tumultibus, quibus Altissimus ad probandam suorum fidem, & ad correctionem nostram istud Christianissimum regnum agitari permittit, imposita illataque fuerunt, præsentissima & aptissima remedia quamprimum adhibeantur.

Cùm itaque, sicut non sine magno animi nostri dolore accepimus, inter & illas ingentes clades, quibus nuper dictum regnum hæreticorum & seditionum hominum audacia & scelere concussum & affectum fuit: Charissimus in Christo Filius noster Carolus, Francorum Rex Christianissimus, pro illius salute, ac prostratæ in eo religionis recreatione animadvertit, id in primis expedire, ut externorum militum copie spoliis onustæ, cunctaque passim populantes, dicto regno educerentur, ac simul ingens impiorum colluvies, ad abolendum istic Catholicam fidem, & opprimendos omnes Ecclesiastici nominis professores, ac denique regnum ipsum subvertendum, ex diversis regionibus congesta dissolveretur, Gratiæque, maritimum oppidum de Anglorum & hæreticorum manu criperetur.

Sed quia Fiscus sui rationes prope omnes in ipsis tumultibus interceptæ fuerunt, nec ullum ex Galliæ rebus sic attritis subsidium ad tanti belli pondus tempestivè parari poterat, in extrema necessitate constitutus, quanquam ægrè, edixerit, Regioque decreto permiserit, licet nulliter de factis, ut ex dominiis, domibus, terris, feudis, jurisdictionibus, censibus, juribus, proprietatibus, & bonis immobilibus Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & aliarum Ecclesiarum, ac Capitularum, Monasteriorum, Conventuum, Prioratuum, Præceptoriarum, Dignitatum, Personatum, Administrationum, Beneficiorum, Officiorum, locorum Ecclesiasticorum, secularium, ac quorum-

cumque Ordinum regularium, nec non Sancti Joannis Hierosolymitani, & aliarum Militiarum, in regno præfato, cæterisque dominiis & locis illi subjectis consistentium usque ad valorem annuum centum millium scutorum auri, assignato tamen ipsis Ecclesiasticis, & locis alio æquivalenti reddito, & aliis sub certis modo & forma tunc expressis, venderentur, & alienarentur, certis executoribus seu commissariis ad id deputatis, quorum plerique justitiæ & religionis calcatis federibus statim castra, jurisdictiones, sylvas, nemora, feuda, census, & alia hujusmodi bona nobiliora & pretiosiora, statuique præfato conducibilia, & multo plura quam dicta summa, vilissimo pretio proferperunt & venderunt, quidam ex eis dolose nitentes statum ipsum Ecclesiasticum universum, per multiplicatas hujusmodi venditiones omnino enervare & subvertere.

Quocirca Clerus dicti regni luctuosam hanc defolationem indignè ferens, nefarios illorum excessus & conatus præfato Carolo Regi significaverit, & pro redemptione bonorum hujusmodi, ad majus damnum evitandum, illorum emptoribus fortè principalem & legitimas expensas solutorum obtulerit, si sibi ad id temporis commoditas concederetur; Ac proinde ipse Carolus Rex cognita enormi læsione, & irreparabili damno ex immoderatis venditionibus hujusmodi emergente, volens indemnitate dicti status omni quam poterat industria providere, alio edicto suo septima Januarii novissimè præteriti in Curia Parlamenti publicato, inter alia statuerit, & ordinaverit, ac dicto Clero concesserit & promiserit, ut omnia & singula dominia, terras, jurisdictiones, proprietates & alia bona alienata præfata, intra annum à Calendis Februarii novissimè præteriti inchoandum, redimere, & soluta forte principali cum legitimis impensis hujusmodi, seu facta in certis casibus legitimo deposito, illa ad jus suum pristinum revocare, possessionemque illorum recuperare posset, quemadmodum in ipso edicto plenius continetur.

Cujus obtentu, Clerus ipse, etsi eum non latebat, hæc citra Sedis Apostolicæ auctoritatem fieri non posse: angustia tamen temporis pressus, ac sub spe licentiæ à dicta Sede obtinendæ, quantum in eo fuit, statim decreverit & ordinaverit, quod duo periti ex singulis dicti regni Diocesis eligerentur, qui tanquam œonomi, procuratores, & commissarii ejusdem Cleri, verum & certum valorem singulorum bonorum mobilium, & minus utilium immobilium singularum Ecclesiarum, Capitulorum, Monasteriorum, Conventuum, Mensarum, Dignitatum, Beneficiorum, & locorum prædictorum informationem acciperent diligentem, eaque accepta partitiones, taxationes, proportionabiliter & pro rata parte facerent & imponerent, ac singulos ex dicto Clero ad præsentationem & solutionem partis sibi contingentis, & per venditionem dictorum bonorum mobilium, & minus utilium immobilium compellerent, & de pecuniis inde provenientibus bona supradicta magis utilia redimere curarent, prout ipsi jam informationes accepisse, partitiones fecisse, illasque imposuisse, ac alia eis injuncta, & circa eas necessaria executioni demandasse dicuntur.

Nos licet ægerimè feramus, res & bona Ecclesiastica contra juris divini & humani dispositionem, in Christianissimo regno tam miserabiliter tractata & dissipata fuisse: nihilominus pro majori Ecclesiæ rei jactura vitanda, quantum pro temporum qualitate cum Deo possumus, his malis mederi cupientes, & de præmissis certam notitiam ac plenam informationem non habentes, tam Caroli Regis & Cleri præfatorum, quam etiam chassimæ in Christo Filie nostræ Catharinæ Reginae, ipsius Caroli Regis matris precibus, per litteras & Nuntios frequenter excitati, sicut urgens & evidens necessitas, rei que magnitudo postulat, negotium hoc universum prudentiæ, pietati, & religioni vestre de-

mandandum statuimus, firmâ de vobis spe fiduciaque jampridem conceptâ, quod pro vestro in rempublicam Christianam ac Ecclesiasticam auctoritatem studio & amore ac debito nihil fitis in hac re effecturi, nisi quod dicto Ecclesiastico statui, & regno utile, etiam fructuosum, aut certè minus damnosum futurum sit.

Quare Circumspectioni & Fraternalitati vestre per Apostolica scripta mandamus, ut universum negotium præfatum ad audientiam & sollicitudinem vestram revocantes, convocatis œonomis, procuratoribus, & commissariis præfatis, ac aliis qui fuerint convocati, adhibitisque vobiscum aliquot Prælati, & aliis peritis viris pietate & religione præditis de dicto Clero, ac bonis, eorumque vero valore, nec non taxationibus, ac cæteris præmissis, eorumque circumstantiis universis, coram vobis propositis & specificatis, toto animo in primis perferretur, si ex fructibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum bonorum prædictorum per collectas, aut eorumdem fructuum locationes, etiam anticipatis solutionibus, seu concessionibus bonorum aliquorum in emphyteosim, etiam perpetuam, vel pignoraciones, seu bonorum mobilium minus necessariorum distractiones, aut alias omnino rationes, quam per bonorum immobilium hujusmodi venditionem, vel pecuniarum summâ ad præmissa necessariâ, in toto vel in parte, confici & exigi poterit, ut hoc fiat auctoritate nostra curetis.

Verum si statui Ecclesiastico præfato his rationibus succurri nequeat, sed pro illius salute & dicti Cleri indemnitate cœptum ab eo remedium prædictum omnino prosequi, diligenti informatione præhabita, cognoveritis expedire, vel necesse est, super quo conscientias vestras in Domino oneramus, vobis, omnes & singulos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios de dicto Clero à juramento per eos, de non alienandis possessionibus & proprietatibus Ecclesiarum, Monasteriorum, Mensarum, Dignitatum, & Beneficiorum suorum, inconsulto Romano Pontifice, ac aliis quomodocumque præfatis, ad effectum præsentium duntaxat absolvendi, illudque eis relaxandi, ac taxationes, partitiones & collectas præfatas, vel non mobilium etiam pretiosorum, ac minus utilium immobilium bonorum, non tamen castrorum & aliorum locorum, temporalem jurisdictionem, & vassallagiam obtinentium, venditiones, & alienationes, ac locationes & concessiones per præfatos œonomos seu Commissarios, aut eorum ordinatione, decreto vel consensu hucusque ad effectum præmissum quomodocumque aliis pro justo pretio facturum, eadem auctoritate approbandi & confirmandi, Apostolica auctoritate tenore præsentium, facultatem concedimus, suppletentes omnes & singulos juris, & facti defectus, & solemnitate omittimus, si qui intervenerint in eisdem.

Et præterea dictis œonomis & Commissariis taxationes, & collectas hujusmodi perficiendi, imponendi, & exigendi, ac quæcumque bona immobilia Ecclesiastica pignorandi, aut certum tempus etiam anticipatis in toto vel parte solutionibus locandi, seu in emphyteosim perpetuam, vel temporalem concedendi, ac mobilia etiam pretiosa, & minus utilia immobilia bona præfata, usque ad complementum totius summæ ad præmissa necessaria, & non ultra, pro justis & reperibilibus pretiis vendendi, & alienandi, ac de pecuniis inde provenientibus, omnia bona supradicta, præterea anterioris edicti hujusmodi alienata, distracta & usurpata redimendi, & ad jus proprietatemque suam restituendi & revocandi, nec non Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Ecclesias, Capitula, Conventus, & Collegia quæcumque, singularesque personas dicti Cleri, tam conjunctim quam divisim, ad præstantum consensum, ac concurrendum taxationibus, & collectis, cæterisque oneribus præfatis, usque ad complementum totius summæ hujusmodi, & per censuras & pœnas Ecclesiasticas, omniumque proventuum beneficiorum suorum distractionem, & auxilii brachii secularis invocationem, alia-

que juris & facti remedia opportuna compellendi, cæteraque in præmissis & circa ea necessaria, & opportuna faciendi & exequendi, plenam & liberam licentiam & facultatem concedere valeatis, vobis similiter indulgemus. Proviso quod pecuniæ alienationibus & distractionibus hujusmodi provenientes, in redemptionem prædictam, & nullos alios usus integrè & bona fide omnino convertantur. Non obstantibus præmissis, ac fere Symmachi, ac Pauli II. de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis revocandis, nec non Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum de una, & in Concilio generali edita, de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Hospitalium, Militiarum, & locorum præfatorum, juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, Ecclesiis, eorumque Præfulibus, Capitulis, Conventibus, Collegiis, Superioribus & Personis, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos ac dictam Sedem, & motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolica Potestatis plenitudine, & consistorialiter, nec non consideratione, intuitu, contemplatione, ad instantiam Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibuscumque sententiis & decretis concessis, confirmatis & innovatis, etiam quascumque similes alienationes fieri specialiter & expressè prohibentibus, & quacumque causa pro tempore factas, omnino annullantibus.

Quibus, omnibus etiam pro sufficienti illorum derogatione alias, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per regulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice duntaxat harum serie specialiter & expressè derogamus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Aut si Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, singularibus personis dicti Cleri communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Quod si omnes in his exequendis nequiveritis interesse, aut aliquem vestrum à Curia Regia abesse contigerit: duo vestrum conjunctim ea nihilominus exequi valeant, vobis etenim, si pro Ecclesiarum utilitate & negotiorum hujusmodi commodiori expeditione opportunum videbitur, ut aliquos Archiepiscopos, seu Episcopos, aut alios Prælatos similiter pietate, & religione præditos cum simili aut limitata potestate, ad præmissa omnia & singula tractanda, & peragenda, loco vestri substituere, & subrogare valeatis, concedimus pariter & indulgemus.

Cæterum ut Status Ecclesiasticus prædictus universus valeat, sicut optamus, in plenitudine virium suarum conservari; omnes & singulos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Capitula, Conventus, & singulares Personas dicti Cleri, quorum Ecclesiæ, Beneficia, & Loca dictam alienationem pro redemptione præmissa patiuntur, de mandato nostro moneatis, ut pro se quisque ita quotannis de proventu Ecclesiasticis compartientes, quam primum commodè fieri poterit, alienata redimere,

aut alia æquè utilia bona immobilia suis hujusmodi Ecclesiis, Beneficiis & Locis comparare curent cum effectu.

Præterea nostro nomine præfatum Carolum Regem hortemini & requiratis, ut pro ejus Pietate & Religione, ac conscientia suæ exoneratione majorum suorum, qui Ecclesiam sanctam rectam, Christi que patrimonium usque quaque auctum & illibatum sanctè & fideliter conservaverunt, Ecclesiasticæ indemnitati consulendo, meminerit has Ecclesiasticas jacturas, assignato ipsis Ecclesiis alio æquivalenti reditu, sicut priori edicto suo pollicitus est, & alias condigna satisfactione, ac regia liberalitate sarcire.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub anno Piscatoris, die decima septima Mensis Octobris millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. Pontificatus nostri anno quinto.

Cæ. Glorierius.

PIUS QUINTUS.  
PONTIFEX CCXXXIX.  
ANNO DOMINI MDLXVI.

Pius antea dictus Antonius Chislerius ad Summum Pontificatum evexitur, Vir Religionis, ac pudicitia vindex, recti justique assertor, morum & disciplina restaurator, Evangelium S. Joannis in fine Missæ dici mandavit: post alia egregiè patrata, tandem vitam cum morte commutavit anno 1572. à Clemente XI. Sanctorum albo adscriptus (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 189. App.*)

S. Pius Quintus Pontifex Abbatiam Floressiensem, Ordinis Præmonstratensis, in Diocesi Namurcensi, à Prædecessore Pio Quarto destinatam pro dote Episcopatus Namurcensis anno 1566. sub onere annuæ pensionis eximit, eidemque Episcopatu annexit Abbatiam S. Gerardi, seu Broniensem Ordinis S. Benedicti in eadem Diocesi.

I.  
Ex Op.  
Dipl. Mi-  
rai Tom. 2.  
pag. 1098.

PIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

**Æ**quum reputamus, & rationi consonum, ut ea, quæ de Romani Pontificis Gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu Litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum fortiantur effectum.

Dudum siquidem felicitis recordationis Pius Papa Quartus, Prædecessor noster, Provisiones Ecclesiarum, & Monasteriorum omnium tunc vacantium, & in antea vacaturorum, ordinationi, & dispositioni suæ reservavit, decernens ex tunc irritum & inane, si secus quid super his per quoscumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Cumque postmodum Monasterium Sancti Gerardi in Brogues, Ordinis Sancti Benedicti, Namurcensis Diocesis, cui quondam Benedictus Mailly, ipsius Monasterii Abbas, dum viveret, præerat, per obitum dicti Benedicti Abbatis, qui extra Romanam Curiam diem suum clauserat ex-